

Eclipsis Lunar
 Anno 1676, die 1. Januarii mane observata
 G E D A N I
 à Johanne Hevelio.

Hanc Eclipsin Lunæ cælo admodum sereno observare obtigit, sic ut ipsum initium, tum etiam 12 phases crescentes, ad maximam usque obscurationem ex voto deprehendere & describere licuerit; post maximum autem defectum nubes supervenere, aded ut non nisi duas phases decrecentes, 14 & 15, annotare, & quidem vix satis accuratè, potuerimus; exindeque finem etiam minime conspeximus. Optandum quidem fuisset, cælum continuè extitisse serenum, quò stellulam illam fixam, horâ 4. 11'. 45". à limbo Lunæ inferiori & orientali distantem, exactè observare licuisset; sed nubes pariter illam postea nobis eripuerunt. Quantum conjicere datur, si non à parte Australiori Lunæ omninò tectâ est, haud procul tamen a limbo Lunæ inferiori incessit: Sed de hoc phænomeno alii, quibus cælum magis fuit propitium, aliquid certius indicabunt. Notatu dignum in hâc Eclipsi præprimis extitit, quòd penumbra ab hora statim 2. 36'. 40". inceperit. Nam eâ parte ad M. Baronium, & Sinum Apollinis eo tempore jam paulò obscurior Lunæ limbus videbatur; quæ penumbra deinde successivè densior evasit, ita ut hor. 3. 8'. jam satis notabilis extiterit. Ipsum verò initium Eclipseos primùm horâ 3. 30'. hîc Gedani contigit; cùm tamen juxta calculum Rudolphinum fere 16' citiùs incidere debuisset. Pariter quantitas Eclipsis ad integrum digitum minor extitit, quàm calculus eam promiserat. Quippe non nisi $3\frac{1}{2}$ dig. obscurata, ut ut calculus eam 4 dig. 25'. ostenderit. Quæ discrepantia ut satis evidens est, sic Tabulas multâ adhuc correctione indigere ostendit. De cætero, in hâc Eclipsi quoque probè notandum est, quòd omnes Sectiones nunquam Montem Porphyritem omninò texerint, sed ille per totam durationem, etiam in ipsâ maximâ obscuratione, in ipso umbræ limbo conspicuus perstiterit: Deinde, quòd durante Eclipsi horâ 3 46' ingens halo Lunam cinxerit.

Observatio.

Observatio Eclips. Lunaris
 Anno 1676, die 1. Januarii mane habita
 G E D A N I.

| Tempore ex | | Altitu- | dines Fix- | Nomina Fixarum. | Ordo | Per quas maculas transiverint Umbrae Sectiones. |
|------------|--------|---------|------------|---------------------|------|---|
| Altitud. | Cor- | dines | | | | |
| reſto. | reſto. | arum. | | | | |
| Hor. | " | " | " | (onis | | |
| 2 | 28 | 38 | 26.12.0 | Dextr. humeri Ori- | | |
| 2 | 33 | 20 | 25.35.0 | Dextr. humer. Ori. | | |
| 2 | 36 | 40 | | Initium Penumb. | | Ad Montem Baronium. |
| 3 | 8 | 10 | | | | Penumbra densior. |
| 3 | 16 | 35 | | | | Densa penumbra. |
| 3 | 24 | 20 | | | | Densissima penumbra. |
| 3 | 30 | 0 | | Initium Eclipseor. | 1 | Ad Sinum Apollinis. |
| 3 | 36 | 25 | | | 2 | Per M. Alabaſt. & Sin. Hy- |
| 3 | 42 | 5 | | | 3 | Ad Sinum Apoll. (perbor. |
| 3 | 45 | 25 | | | 4 | (Majorem. |
| 3 | 46 | 30 | | | 5 | Per M. Baron & L. Nigr. |
| 3 | 52 | 10 | | | 6 | Per Inf. Ophiſam. (Min. |
| 3 | 59 | 15 | | | 7 | Ad M. Porphy. & L. nigr. |
| 4 | 7 | 45 | | Stellula diſtab. in | 8 | Per M. Porph. & M. Serr. |
| 4 | 11 | 45 | | limb. 36' vel 40'. | 9 | -- Porph. Pr. & M. Carp. |
| 4 | 12 | 10 | | | | (Macroceran. |
| 4 | 18 | 5 | | | 10 | Per Inf. Corſ. M. Arg. & M. |
| 4 | 26 | 0 | | | 11 | Per M. Porphyrit. & Lac. |
| 4 | 34 | 0 | | | 12 | (Trasimenum. |
| 4 | 43 | 20 | | | 13 | |
| 4 | 56 | 20 | | | 14 | Ad Sinum Apollinis, M. |
| 5 | 3 | 0 | | | 15 | Chriſti, & Inf. Macr. |
| 5 | 25 | 0 | | | | |
| 5 | 30 | 0 | | | | |
| 5 | 55 | 28 | 32.33.0 | Lucida Lyra. | | |
| 5 | 57 | 33 | 32.50.0 | Lucida Lyra. | | |
| 5 | 59 | 0 | | | | Penumbra. |
| 6 | 8 | 0 | | | | Penumbra pone evanuit, quoad conſpicere potuimus ob nubes. |